

CICERONE, *DE DIVINATIONE*, II 60-62

An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? Quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. Quicquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est, ut, etiamsi praeter consuetudinem exstiterit, praeter naturam tamen non possit existere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris; si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa, eumque terrorem, quem tibi rei novitas adtulerit, naturae ratione depellito. Ita te nec terrae fremitus nec caeli discessus nec lapideus aut sanguineus imber nec traiectio stellae nec faces visae terrebunt. Quarum rerum omnium causas si a Chrysippo quaeram, ipse ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito naturalemque rationem omnium reddet. Nihil enim fieri sine causa potest nec quicquam fit, quod fieri non potest, nec, si id factum est quod potuit fieri, portentum debet videri; nulla igitur portenta sunt. Nam si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est: saepius enim mulam peperisse arbitror quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur: nec id, quod non potuerit fieri, factum umquam esse; nec, quod potuerit, id portentum esse; ita omnino nullum esse portentum. Quod etiam coniector quidam et interpretes portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui quondam ad eum rettulisset quasi ostentum quod anguis domi vectem circumiectus fuisset. "Tum esset" inquit "ostentum, si anguem vectis circumplicavisset". Hoc ille responso satis aperte declaravit nihil habendum esse quod fieri posset ostentum.

1. Il brano di Cicerone si compone di una parte argomentativa piuttosto serrata, nella quale si intrudono occasionali divagazioni, esemplificazioni, formule retoriche. Sapresti illustrare brevemente la struttura argomentativa, separando quanto divaga da quanto ragiona e mettendo in evidenza la concatenazione delle idee logiche?
2. Il brano si fonda su una mezza dozzina circa di vocaboli (e in particolare verbi) ricorrenti. Prova a farne un elenco
3. Nel brano compaiono almeno tre interlocutori, reali o fittizi, con i quali alle volte Cicerone ironizza, alle volte no. Individuali, distinguiili secondo il comportamento tenuto dall'oratore e, nel caso di ironia, individua gli elementi che la fanno sentire come tale.
4. Il ragionamento ha qui, secondo te, un andamento circolare o lineare? Motiva la tua scelta
5. Nel corso del brano Cicerone propone, pur senza farlo esplicitamente, una sua definizione di Natura. Quale?